

*Bibliothèque numérique*

**medic@**

**Ferrand, Jean-Baptise Guillaume -  
candidat / Sabatier, Raphael Bienvenu  
- président. - De encephalocèle seu  
herniâ cerebri**

**1763.**


***Paris : Typis P. AL. Le Prieur,  
Regii Chirurgorum Collegii  
Typographi.***

***Cote : ms 2342, n°90***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé  
(Paris)


Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes  
.fr/histmed/medica/cote?ms02342\\_ms02346x01x0090](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x01x0090)



ILLUSTRISSIMO AC NOBILISSIMO VIRO  
 D. D. ARMANDO-JOSEPHO DE BETHUNE,  
 DUCI DE CHAROST,  
 PARI FRANCIÆ, REGIO PROVINCiarUM PICARDIÆ  
 ET BOLONIENSIS COMITATUS PRÆFECTO, &c. &c. &c.  
 MÆCENATI SUO.

Has Theses in perpetuum reverentiæ monumentum vovet, dicat, consecrat humillimus  
 ac obsequentiſſimus JOANNES-BAPTISTA GUILLELMUS FERRAND, Regii  
 Chirurgorum Collegii Pariſienſis Candidatus,







DE  
ENCEPHALOCÉLE,  
SEU  
HERNIÂ CEREBRI.

THESES  
ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

I.



EREBRUM humanæ mentis arx & domicilium, pars Princeps quâ mediante spiritus creatus cum materiâ organisatâ commercium habet, viscus illud nobilissimum in culmine ædificii nostri mortalis locatum, cerebrum, inquam, tum loci sublimitate; tum substantiæ mollioris texturâ, externis undique patefceret insultibus, nisi illud hospitali pyxide protexisset alma rerum parens natura. Sed, heu miseros mortales! Quidquid prudens prospexerit, quidquid commodi ac securitatis humano ge-

A ij

4

neri benignâ manu concesserit Universitatis hujusce mens creatrix, cerebrum tamen multifariâ ac periculosissimè afficiunt irruentium undique corporum moles ac impetus, cerebrum excruciat horrenda & effrænâ morborum extûs & intûs pullulantium caterva. Quæ malorum congeries! Tot ac tantos affectus hîc omnes recensere, ut & brevior pagina vetat, sic & extra pensî nostrî rationem positum. Fert animus non nulla quædam pro ingenii modulo de *Encephalocèle*, seu herniâ cerebri delibare, postquam Anatomîæ visceris summam, in antecessum paucis exposuerimus.

## I I.

**ENCEPHALUM**, in thecâ osseâ ex octo firmissimis cranii ossibus compositâ, inclusum, duplici membranâ involutum, in duo quasi *hemisphæria* in tres utrinque lobos rursûs dividua, bipartitum, duplici conflatur substantiâ, exteriori quæ cineracea & quasi cortex, undè *corticalis* aut *cinerea* nuncupatur, interiori quæ albicans, paulò firmior & sambuci medullæ fermè similis & idcirco *medullaris* audit.

**EXTERIOR** juxta *Malpighium*, *Bidloum* eorumque effeculas, glandulosa, juxta *Vieussenium* verò, *Rhuysschium* & alios, vasculosa. Quidquid sit, in ipsâ secerni videtur à sanguine liquor subtilissimus, æthereus forsan aut *archielectricus*, *spiritus animalis* nomine insignitus. Sed quo pacto fiat pretiosa hæc secretio? Est ne acinis glandulosis, vel ductibus arteriosis tribuenda? Litem dirimat *lynceus Anatomicus*, vel qui naturæ consiliarius fuit.

**INTERIOR** seu *medullaris* à minimis juxta *Heisterum* (a) cineræ substantiæ arteriolis mutuans originem, videtur esse subtilissimè tubulosa, constare creditur ex innumeris casulis, spiritu animali æquabiliter repletis, inflatis, distensis: per has fieri spirituum influxum in *striatam* cerebri partem, supponitur, non probatur. Corpora hæc *striata*, ex implexis *albicantis* & *cinereæ* substantiæ striis radiatim dispositis, coalescentia, fibrillis gaudent flexilibus, aliquo elaterio forsan, aut vibratilitate donatis. His nobilissimum à quibusdam ideas animæ communicandi munus assignatur. Sed quo innixi rationum momento, inter ens perfectè simplex & materiam commercium sic instituant, non videmus. Nostrum non est

(a) Compend. Anatom. p. 134.

3

in tam gravi negotio nodum solvere : res est ardua nimis, quæ humanæ mentis captum superat.

CEREBRO succumbunt *medulla nervorum* parens & *cerebellum*. Prior extus medullaris est, intus paulum substantiæ corticalis continet. In cerebello, si in partem dextram & sinistram scalpro scindatur, *cinerea* quoque & *medullaris* substantiæ observantur, sed *corticalis* longè hîc *albicanti* copiosior, atque arbusculas quasi repræsentat.

FUSIOREM harumce partium descriptionem brevitatis ergò silemus

### I I I.

QUAMVIS cerebrum ossæ cranii galeâ tectum, lineas à naturâ sapienter institutas, transilire nequeat, fieri tamen potest, immò non numquam evenit, teste experienciâ rerum magistrâ, ut primæ conformationis vitio, pyxidis ossæ pars aliqua dehiscat, deficiat, sicque relicto inter coercentes partes hiato, inæqualiter sustentati cerebri portio, qua *data porta ruat*, foràs prorumpat, tumoremque efformet, quem haud ineptè cum celeberrimo *Dranio* (a), *herniam cerebri* aut *Encephalocelen*, nominare possumus.

### I V.

ANTEQUAM phænomeni causas enucleatè perpendamus, hujusce existentia plurimis observationibus comprobanda venit. Casus omnes referre, qui in authoribus passim occurrunt, supervacaneum prorsus foret. Nobis sufficiat, tres quatuorve genuinas in medium proferre historias, rarum huncce affectum invictè demonstrantes.

OBSERVATIO prima *M. Le Dran* (b) huc spectare videtur. De infante recens nato loquitur, qui in parietali dextro tumorem gerebat mollem, indolentem, totam fere ejus superficiem occupantem, in cujus circumferentiâ digito explorabatur circulus, qui ossificationis imperfectæ suspiciônem præbebat &c.

(a) *Observations de Chirurgie*, Tom. I. *Observ. I.*

(b) *Observ. de Chirurgie*, T. I. p. 1.

*Reiseli* (a) refert, in infante recens nato, tumorem apparuisse in nuchâ, durum, tensum, duarum nucum magnitudine, qui apertus, feri limpidissimi quatuor uncias emisit. Septem elapsis hebdomadibus, fato functus est misellus, apertumque cadaver ostendit cerebellum, per foramen proprium cum foramine magno occipitali conjunctum, in tumorem erupisse.

CASUM huic fermè similem vidit celeberrimus hujusce aetatis praeses.

SIC apud *Trewium* (b), mentio fit infantis qui propè verticem & occiput tumorem habebat *floreni* magnitudine, pollicem ferè altum &c. Hiatus ossis in radice tumoris ambitu facilè detegebatur.

HERNIAM cerebri observavit M. *Allouet* in infantis recentissimè nati cadavere quod prosecuit. Hanc etiam in infante in lucem nuperrimè edito vidit *Joh. Frideric. Christianus Corvinus* hujusque historiam accuratissimè narrat in peculiari dissertatione (c) quam ex professo edidit.

## V.

NUNC juvat hujusce affectus causas scrutari.

HERNIÆ cerebri ansam præbent ossificatio imperfecta & peculiaris textura visceris.

ENCEPHALI, ut innuimus, substantia mollis est, pulposa & ossibus cranii quasi totidem repagulis subjecta. Innumeris, ut nemo nescit, alluitur vasis, sed præcipuè arteriis sanguiferis pro spirituum animalium secretionem. Vasa hæc à carotidibus & vertebralibus oriunda, sunt circumquaque implicita, diversimodè incurvata, multifariam intorta, intertexta atque, ut ita dicam, in vorticulos adacta, haud secus atque alibi in reliquâ corporis fabricâ fieri contingit. Singulis singularum arteriarum pulsibus succutitur correspondens cerebri portio, quæ iners, resistere nescia, quem accipit, membranis & cranio motum communicat, adeò ut, quam-

(a) Obs. de cerebello extra cranium posito. vid. E. n. c. Dec. 11. ann. 23. Obs. 115. p. 272.

(b) In *Commerc. Litter.* ad annum 1738. hebdom. 52. N<sup>o</sup>. 3. p. 414.

(c) Specimen inaugurale Medicum de *Hernia cerebri*. pag. 3. 4. 5. 6. & 7.

diu carceribus æquabiliter coercetur, premitur, sustentatur, quamdiu nullus datur exitui locus, præscriptos limites numquam effringat, at verò si quâcumque de causâ pars aliqua deficiat, dehiscat, si quis sit præter naturam hiatus, partes succussæ, nec amplius sustentatæ, foras prorumpent herniamque efformabunt.

NUNC inquirendum cur & quomodo ossificatio deficere possit. Adulorum ossa in primâ sui origine fuisse mollissima, membranisque similia, nemo inficias ibit. Has membranas tenuissimis exquisissimisque filamentis primò contextas, sensim succi nutritii adventu incrementum capere, ad cartilaginum conditionem in dies devenire, tandemque duriores factas à centro ad periphæriam, ossificationis nomine salutari, in confesso est apud omnes, illudque docet osteogenia fœtuum. Supponamus nunc lymphæ cerebrum irrogantis qualitates vitari in ordine ad crasim, vel in ordine ad consistentiam, vel motum ejus remitti, vel demùm quâcumque de causâ vitari. Sit V. G. nimis spissa & illi ad cor denegetur refluxus, torpens, stagnans, fluere nescia, in cerebri anfractibus ultra modum coacervata, vasorum parietes nimium tensos moræ tandem impatiens diffringet, hydrocephalumque internum spatiosa pariet, qui crescens in dies novâ humorum aggerie, mollissima adhuc cranii ossa à puncto contactûs removebit, sicque cranii volumen miserè adaugebit. Supponamus adhuc lympham istam in sacculo quodam seu folliculo inclusam, plus premere unam cranii partem quam reliquas, ossium, in quæ major exeritur pressio, vasa comprimuntur, perpetuò collisa, ut ita dicam, contunduntur; sicque succi nutritii influxus impeditur, ossificatio deficiet, sic encephalum inæqualiter pressum, ruet ubi resistentia minor & in tumorem cum suis membranis elevabitur.

## V I.

ALLATIS huc usque historiis si fides, duplicem statuendam encephalocelen ducimus, unam scilicet quæ cerebri strictè dicti, alteram quæ cerebelli herniam comprehendit. Encephalocelen erit *simplex*, *composita*, aut *complicata*. *Simplex*, si cerebrum solum, aut cerebellum solum tumor includat. *Composita*, si ambo formationi herniæ concurrant, *complicata* autem, si quis fortè morbus, inflammatio putà, gangræna &c. superveniat; vel tandem si magna lymphæ vitiatæ copia in tumore reperiatur, huic *hydro-encephalocelen* nomen, cum Corvino supra laudato, imponere non dubitamus.

HERNIA cerebri trifariam rursus ratione loci sat commodè dividi poterit; vel enim erit *lateralis* vel *verticalis* ( hoc est in vertice ) vel *occipitalis*.

DENIQUE eventus habitus ratione , Encephalocèles dividetur in *sanabilem* & in *insanabilem*.

## V I I.

SIGNA diagnostica extricatu perquam difficilia. Quæ ab autoribus referuntur , hæc sunt. 1°. Observatur tumor in aliquâ cranii regione. 2°. Mollis est juxta quosdam & cum aliquo fluctuationis sensu , juxta alios durus , tensus &c. 3°. In infantibus solis reperitur. 4°. Color cutis est naturalis. 5°. Pulsatio quædam sentitur. 6°. Tandem. Circulus osseus in radice tumoris peripheriâ digitis explorari potest. At hæc signa æquivoca esse, quis non videt? Si quidem duo prima aliis morbis , abscessibus nempe , aut cæteris tumoribus tunicatis, quantum verò aneurismatibus, conveniunt. Circulus osseus, notatu tamen præcipuè dignus, ut pote juxta *Corvinum*, nullo alio in casu reperiendus, potest etiam erroris ansam præbere , Regiæ enim Chirurgorum Academiæ examini nuper subiectus est tumor, pericranium inter ac duram matrem contentus, in cujus radice ambitu percipiebatur quidem circulus osseus, carie exesis cranii ossibus, nec erat tamen hernia cerebri. Quo pacto igitur hunc ce affectum cognoscemus, signis pathognomonicis destituti? Quæ expensa sigillatim nil docent, dubia sagaci Chirurgo aperire poterunt collectivè sumpta, si præsertim eodem accedat. 1°. Quod hernia cerebri simplex juxta annotationem Magistri *Ledran*, lentissimo gradu procedit. 2°. Quod tumor graviter, absque notabili functionum læsione & etiam summo vitæ periculo, comprimari nequit.

FLUCTUATIO, & , si ita loqui fas est, *pelluciditas*, in tumore observatæ & aliis signis additæ, in hydro-encephalocèles, quæ ruptis vasis lymphaticis, quotidie augeri potest, cognitionem nos adducet.

## V I I I.

HERNIÆ cerebri symptomata sunt in ratione liberi adhuc vel impediti spirituum animalium influxus. Undè, si tumor in supremâ aut laterali capitis regione, sit recens, parvus, à coercente circulo

nondum strangulatus; nullum symptoma sensum sui faciet, deformatione exceptâ; eo enim in casu, fit quidem elongatio nervorum, sed sensim ac successivè distenduntur, nulla adhuc compressio secretionum opus, spirituumque influxum interturbat. At verò, nisi afflictis miselli rebus à principio succurratur, tumor crescet in dies, ossa cum ætate duriora facta, protuberans cerebrum, involucri & vasa compriment, quod inflammationi cum suis consecutariis, suppurationi nempe aut gangrænæ, ansam præbebit &c. Facile conceptu, quantam machinæ labem inferat *occipitalis encephalocèles*, si quidem compressis medullæ oblongatæ nervis, denegatur adæquatus spirituum influxus, undè paraplegia, paralytis, convulsiones &c. *Hydro-Encephalocèles lateri*, individua comes, adhæret paralytis ferè semper completa. Hanc æquis passibus, ni mors tragædiæ finem faciat, sequuntur atrophia, hæctica, earumque pedisequi.

## I X.

EXDICTIS colligere est 1°. Herniam cerebri *verticalem* aut *lateralem*, recentem, exiguam, quæ parvam serosæ colluviæ quantitatem continet, posse radicibus curari. 2°. Internecinum ferè semper fatum manere *occipitali* laborantes, quæ vix aliam, nisi mitigatoriam, curationem admittit.

## X.

NUNC ad curationem deveniamus.

INDICATIONES Therapeuticae expostulant.

- 1°. UT fibræ cerebri nimium laxæ roborentur, & à nimia feri quantitate expurgentur.
- 2°. SI qui sint in tumore collecti humores, resolvantur, exsiccentur, aut foras eliminentur.
- 3°. PARTES è sede nativâ dimotæ, reponantur.
- 4°. MANCO ossificationis operi provideatur.
- 5°. SINGULIS pro re natâ symptomatibus prospiciatur.
- 6°. TANDEM. Virium imbecillitati succurratur.

OMNIBUS fermè his indicationibus faciunt satis diætæ analeptica & remedia cardiaca, quæ languidas vires refocillant, tonica & exsiccantia (qualia sunt spiritus vini, aqua melissæ, lavandulæ, Reginæ Hungariæ &c) quæ tumori lenissimâ & gradatim factâ compressione super imposita, debiliores fibras corroborant, torpentemque vasorum tonum exsuscitant.

B

HÆC curandi methodus imprimis herniæ simplici *verticali* aut *lateralis* convenit. Testes sint *Dranus Trewiusque*, qui linteo complicato densissimo, spiritu vini imprægnato, super herniam molli compressione sustentatam, applicato, misellos infantes, de quibus loquuntur, ad sanitatem revocavere.

SED quando tumor magnam lymphæ copiam includit, major, immò maxima, occurrit difficultas, *hoc opus, hic labor est*. Si ope topicorum exsiccantium, corroborantium, lymphæ dissipari nequeat, hujus evacuationem tentet Chirurgus. Accedat itaque Medica manus ferro prudenter armata, parva celebretur apertura in loco declivi tumoris, ut aquæ sensim haud secus ac in paracenthesi adominis, educi queant, vasa que dilatata, nativo paulatim elatere gaudeant. Eductâ aliquâ lymphæ copiâ, turundâ molli claudatur vulnus (quod in singulis deligationibus observabitur) ne nimium debiles, gangrænâ corripiantur, fibræ.

NOBIS refragantur auctores celeberrimi, qui hanc methodum à foro Chirurgico prorsus relegendam esse, uno ore pronuntiant; at cum inhumanum sit, ægrum in extremis positum absque remediis relinquere, ad hanc operationem, licet propriâ praxi destituti, confugere non dubitamus. Sic censet doctissimus *Corvinus* (a), habemusque auctorem clarissimum *Trewium* (b), qui mentem suam sic explicat .... *contra tot gravissimorum virorum experientiam, temerè me in aperiendo tumore acturum, nondum convictus sum..... si lymphæ abundans paulatim educatur, si aeris accessus providè præcaveatur, si denique medulla aut cerebrum, neque ejus propagines lædantur, concedere nequeo hanc methodum producere posse ullam noxam, priusquam experientia omnibus his cautelis sollicitè observatis, contrarium doceat. Quin è contra talem aperturam & lymphæ abundantis educationem, ex indè necessariam judicent artis magistri, ut non solum cerebrum à pressione & emollitione liberetur, verum etiam unio integumentorum communium & ossium hiulcorum possibilis reddatur.*

EVACUATIS aquis, ab ambiente aere vulnus cautè defendatur. Partes dimotæ, ab aquarum pressione jam jam liberæ, contractæ, ac partim refogressæ, sin sponte suâ, compressione lenissimâ, ne gravior lethalem apoplexiam producat, in locum reponantur. Uno verbo, si quæ sit tentanda repositio, *Dranium* sequemur ducem.

(a) Specimen in augurale Medicum, &c.

(b) Schediasm. p. 176. n°. 6.

Repositione factâ, partes in situ naturali debitâ fasciatione sunt continendæ, ossiumque consolidatio aut ossificatio congruis analeptis promovebitur.

## X I.

CEREBRUM ut & aliæ corporis partes, inflammationi (a), suppurationi (b), gangrænæ (c), carcinomati (d) &c. Obnoxium, cæsim inflictiis vulneribus (e), vel cranii carie (f), vel intropressis ossium fragmentis vel tandem aperturâ trepanatione factâ, foras erumpere posse, protuberare, luxuriari, neminem Chirur- gum latet. Ast utrùm inter genuinas ac propriè dictas *Encephalo- celes*, hæ nudi cerebri exsuperantiæ, vel luxuriantes degeneris substantiæ furculi, jure ac meritò sint referendi, æquis rerum æsti- matoribus dijudicandum relinquimus. Medendi modum his mor- bis convenientem, ut pote extra propositi ac thesæos limites, si- lentio prætermittimus. Nobis sat erit, ne a symboli discedamus, varia, quæ ad debellandas aut præcavendas hæc *protuberantias*, fuere excogitata, paucissimis indigitare.

1°. QUANDò magna cranii pars ablata fuit, turgescens cerebri dimotionibus prospicietur, si in singulis medicationibus, lintea complicata, congruo liquore imbuta, super imponantur, leni- que fasciatione contineantur. Hâc methodo celeberrimus M. Mo- rand, Buccinatorem Regiæ Invalidorum militum domûs, nostris curis commissum, in quo maxima pars ossis coronalis remota fue- rat, ad sanitatem revocavit (g).

2°. NE post celebratam trepanationem, cerebrum, ut multo- ties contigit, protuberet, ad lamellas plumbeas à *Bellostio* (h) ingeniosè inventas, si res expostulet, confugiendum.

(a) (b) (c) Confer. act. Reg. Chir. Acad. tom. I. *Remarques sur les playes du Cerveau*, par M. Quesnay.

(d) Videfis E. N. C. Dec. 11. ann. 1. obs. 167. p. 393. ubi Koenigius de muliere loquitur, ex cujus cranio carcinomate corroso, cancro corruptâ etiam durâ matre, cerebrum nudum pomi magnitudine protuberavit. Consuli etiam possunt *Sepulcret Bonet.* & *Fabr. Hildani opuscula Chirur- gica*, &c.

(e) *Bellostius* in aureo libro cui titulus *Le Chirurgien d'Hôpital*, tom. I. cap. & obs. 3. p. 114.

(f) Vid. Paræum. L. 12. C. 23. p. 469. & 470.

(g) Hujusce morbi historiam in publicis Regiæ Chirurgorum Academiæ concentibus anno 1762 promulgavit M. Morand.

(h) *Le Chirurgien d'Hôpital*, p. 96. & f.

3° LUXURIANTES suppurantis, gangrænæ corruptæ; aut quocumque modo adulteratæ cerebri substantiæ surculos, ferro penitus, quoad fieri poterit, abscindere non dubitamus.

4° TANDEM post cranii magnâ offium portione defraudati sanationem, lamellâ argenteâ, ferreâ, orichalceâ, aut demum coriaceâ, præmuniatur cicatrix.

*De Rouen* Has Theses DEO DUCE, & Præsidente M. RAPHAELE BENEVENTO SABATIER, Artium Liberalium & Chirurgiæ Magistro, Scholarum Professore Regio, Regiæ Chirurgorum Academiæ Consiliario, necnon Regiæ Invalidorum Militum domûs Chirurgus primario designato, tueri conabitur JOANNES-BAPTISTA GUILLELMUS FERRAND, Rothomagensis, præclaræ Artium Facultatis Magister in Universitate Parisiensi, Regiæ Scientiarum, Litterarum & Artium Academiæ Rothomagensis correspondens, necnon Chirurgus nuper à Rege Stipendiatus in regiâ Invalidorum militum domo, Theseos author.

P A R I S I I S.

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS;

Die Sabbati 9<sup>æ</sup>. Julii à sesqui secundâ post meridiem ad septimam. Anno R. S. H. 1763.

P R O A C T U P U B L I C O

E T

~~CONFERENTIA PUBLICA~~

Magisterii Laureâ

---

Typis P. AL. LE PRIEUR, Regii Chirurg. Collegii  
Typographi.